DE UTILI HIRUDINUM AD VASA HÆMORRHOIDALIA APLICANDARUM…

Giovanni Luigi Saccardo

265
sched. 8

DE UTILI

HIRUDINUM

AD VASA HAEMORRHOIDALIA

APPLICANDARUM FREQUENTIA

ACADEMICA DISCEPTATIO

HABITA

A

JOANNE ALOYSIO SACCARDO

TARVISINO

MEDICA ET CHIRURGICA LAUREA

HONESTANDO

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXV.

Medicus in juvando Naturae curatricis opere plus utatur remediis lenioribus et simplicioribus, quam pharmaceuticis activioribus et compositis.

Frider. Hoffm.

Materia quae in vitio est, brevissima via evacuanda.

Idem.

ANDREAE SACCARDO

ILLUSTRISSIMO MEDICINAE DOCTORI

ET

PATRUO SUO

DICAT

JOANNES ALOYSIUS SACCARDO.

238

Inter tot tamque diversas Therapeuticae methodos, quae humano generi morbis defatigato restituendae prospiciunt saluti, Hirudinum ad vasa haemorrhoidalia applicatio, Temisooe primum instituta, jure meritoque enumeratur. Et re quidem vera inter praecipua, ut ego arbitror, haberi debet subsidia, quae efficaci pollent virtute, ac citam afferunt utilitatem. Sed praesertim quamplurima etiam huic therapeutico operi ratio habenda est, cum illius usu, frequentius quo fit, curativae indigeant indicationes.

Hujusce ad amussim haemorrhoidalibus vasis admotionis *frequens necessitas ac multiplex* demonstretur *utilitas* cupio. Quam ob rem tum ex iis, quae perillustris a Consiliis et in Clinica Praeceptor meus V. A. Brera mihi ut tradidit voce, ita biennali demonstravit experientia; tum ex iis, quae in antiquorum ac neotericorum scriptis nonnulla delibare potui, pauca hac de re, prout ingenii debilitas potis est, et temporis disserendi data brevitas sioit, lubenti animo exponam.

Cum autem clare pateat, de illa animantis specie hic sermonem haberi, quae Hirudinis Medi-

cinalis linneano nomine insignitur, et ad genus pertinet *Hirudo* classis *Anelidum* commendatissimi systematis zoologici eximii Professoris et praeclarissimi Praeceptoris mei S. A. Raynerii; ita haec omnia silentio praetereunda existimo. Verumtamen si quis Hirudinum species ac varietates, zootomiam, physiologiam et quamplurima hac de re instituta pericula ulterius noscere mallet; praeter caetera, illud perlongum opus, galbco sermone conscriptum, auctore Louis Vitet (Traité de Sangsue Médicinal) perlegat: neque recentiorem praeclari Stephani Dalla Chiaggia Neapolitani memoriam de Hirudinibus omittendam esse existimo.

Sed ut quae mihi ostendenda proposui, luculentius pateant; necesse mihi haud dubium est, in primis de haemorrhoidalibus vasis ad memoriam nonnulla revocare.

In primis igitur notandum, quod ex haemorrhoidalibus arteriis duplex insurgit venarum pariter haemorrhoidalium ordo, externarum nempe et internarum: quae omnes inter se miris quantitate, ut docet anatome, communicant anastomosibus. Verumtamen uterque praedictus venarum ordo non ita se se aeque gerit, ut in unum tandem eumdemque coeat truncum; quin immo venae haemorrhoidales externae in iliacas venas sanguinem effundunt; dum internae longe aliud iter habent. Hae enim postremae ex minoribus tum recti intestini, tum descendentis colon venis efformatae, sinistrum prope vertebrarum latus, inter mesocoli laminas scandunt; ut tandem splenicae et mesa-

raicae venae truncis consociatae illud efforment peculiare systema, quod venae portarum nomine distinguitur. Cum vero sanguis, postquam ventriculum, splen, mesenterium, epiploon, pancreatem, intestina tum crassa, tum tenuia benefico irroravit affluxu, per meseraicas splenicasque venas, ut modo diximus, ad portarum venam refluat omnis: ita facillimum est intellectu, quot esse debeant quantique consensus inter venae portarum systema et caetera abdominis viscera; et quodammodo haemorrhoidalia vasa tum ipsius venae portarum systematis, tum viscerum abdominalium mala et saepius persentire, et aliquando temperare possint. Neque vero hasce consensibus illud officit discrimen, quod venae haemorrhoidales externae minime ad efformandum venae portarum systema concurrant; neminem enim latet anatomicum, internas haemorrhoidales per quamplurimas anastomoses immediate cum externis communicare. Venae igitur portarum systema peculiari gaudens structura, vitalitate atque functione, peculiares etiam cum universa circulationis provincia, cumque simul quavis corporis provincia mutuos tum exercet, tum patitur consensus. Et revera clinicae observationes quotidie satis superque demonstrant, quibus venae portarum systema obtemperet vicissitudinibus, et quodammodo cordis, arteriarum, atque organorum omnium tum actiones, tum functiones quandoque iisdem ipsius venae portarum pariter inserviant vicissitudinibus.

Ex dictis igitur clare elucescit, quomodo hae-

morrhoidalia vasa, et venae portarum systema cum caeteris corporis provinciis uniantur. Nunc autem quinam sint praecipui inter haec organa consensus, qui praesertim sub pathologicis conditionibus evolvuntur, mihi breviter dicendum superest.

Systemata organica inter se ita arctissime consentiunt atque conspirant, ut sibi invicem opitulentur ad vitae universalis incolumitatem. Ac simili quidem pacto si quae corporis provincia aliquo quandoque adynamico-vitali vel abnormi assimilativo afficiatur statu, et caetera abnormia quam citissime fiunt organa, eorumque mutuus summopere perturbatur influxus. Verumtamen inter praecipuas, per quas vias consensus fiunt, nervi, vasa et functionum analogia sane enumerantur; ac revera ipsae quoque consensiones, quas portarum vena cum aliis habet systematibus, simili, ni fallor, perficiuntur modo.

Intercostalis nervus, qui tot tamque implicitis instruitur ramulis, qui miras quantitate cum caeteris nervis societates habet, quique plexibus et gangliis pollet quamplurimis; hicce, inquam, nervus praeterquam quod intima insuper unione cum centri nervorum maximi filamentis copulatur, per organa etiam tum pectoris, tum abdominis omnia proprios undequaque diffundit surculos. Hinc trisplanchnici sub nomine, quippe qui trium cavitatum visceribus ramos impertit, illum dignoscere maluerunt. Sed post tantos neotericorum labores, totque post institutas observationes, sat clare compertum esse videtur, trisplanchnicum ner-

vum peculiari formam donare systemati, quod vitae organicae praeses naturales vitalesque, vel ut Gallinianis utar ideis, vegetantis systematis functiones dirigit atque moderatur. Cum vero per hujusmodi nervosi complexus actionem, sympathici inter corporis organa consensus fieri videantur; hac de re systematis etiam sympathici vel nervi magni sympathici nomen quoque assumpsit. Sed praeterea cuilibet patet physiologo, quod hic intercostalis nervus vasorum sanguiferorum tum majores, tum minores truncos propriis ramulis legit, atque peculiari modo comitatur. Ac propterea conspicuum esse debet, quod ipsius nervi toties irritabitur actio, quoties vasorum tunicae, in quibus trisplanchnici filamenta funduntur, abnormi vel dynamica, vel assimilativa detineantur conditione. Quae quidem nervi irritatio per caetera corporis organa, prout dispositio favet, per metaschematismum postea saepe numero irradiatur, eorumque functionum turbas pariter movet. Quam ob rem facillime intelligitur, quomodo per nervi magni sympathici actionem pathologicae venae portarum conditiones morbosum in aliis corporis humani visceribus mutuum exereeant consensum; et quonam pariter modo ipsa portarum vena atque haemorrhoidalia vasa eorumdem viscerum abnormes actiones morbosasque habitus consentire, et quandoque etiam cobibere possint. Quae profecto vera esse pro certo babere possumus ex ipsius experientiae institutione. Et revera quid est nisi consensualis lumborum ille dolor, lumbago dictus, quo frequenter detorquen-

tur, qui haemorrhoidibus laborant? Nonne sunt consensuales melancholia, malacia, aurium tinnitus, dysorexia, si quando ob adauctam (ut neoterici vocant) venae portarum *venositatem* hae nervosae perturbationes evolvuntur? Quid hystericismus in faeminis catameniis carentibus, nisi intercostalis nervi sympathica ut plurimum a vasorum plethora exorta irritatio? Vascularis vero venae portarum consensus et cum imi ventris visceribus, et cum universalis circulationis systemate est quidem quamplurimus. Nam portarum vena centrum, ut ita dicam, abdominis tenet, et cum organis ejusdem cavitatis fere omnibus per vasorum communiones, atque anastomoses intimum commercium habet. Quae igitur summa non esse debet consensio inter ventriculum totumque gastro-enthericum tubum cum venae portarum caveis? Quis cum mesenterio, cum liene, cum hepate tandem consensus? interea dum a venoso ipsorum vasorum complexu ipsum venae portarum systema exoritur? Praeterea mutua venae portarum relatio a quodam horum canalium activitatis atque energiae aequilibrio a natura donato, nec non a proportionali vasorum lumine et sanguinis copia pendere debet. Tali enim pacto si vel cordis, vel arteriarum, vel venae portarum vitalitas tantopere augeatur, ut caeteris praeponderet, ac reactionis aequilibrium surripiatur: tum adynamici in promptu sunt consensus; quae quidem mutuae adynamicae relationes saepius pariter oriuntur, ubinam in quavis sanguiferi systematis provincia nimia sanguinis copia coacervetur. Ve-

rum enimvero supervacaneum existimo modo de mutua relatione verba facere, quam anastomosium ope externa vasa haemorrhoidalia cum internis habent. Qui sane consensus, ut videtis, manifestissimi per se ipsos perspicuique ostenduntur. Quoties haemorrhoidas a cujusvis organi infarctu oriri, teste ipso Hippocrate, non aspiciunt Clinici? Quoties senescens, vel praegnans mulier amenorrheae vices haemorrhoidale profluvium gerere non videt? Quot quamque variae diversorum viscerum affectiones per haemorrhoidas diebus non solvuntur judicatoriis? Nihilo tamen secius illam praetereundam opinor, quae inter portarum venam totiusque sanguiferi systematis vasa se se pandit mutua relatio. Saepe enim numero ex topica venae portarum abnormi *venositate*, praecordiorum anxietas, cordis carotidumque palpitationes, et quandoque etiam dispnoeea et lipopsychia in scenam ludunt. Quae cum ita sunt, nihil aliud profecto haec exempla nisi totidem consensus mutuasque ostendunt relationes.

Verumtamen quammaximi quoque ob functionis affinitatem consensus insurgunt. Si quidem mesenterium, epiploon, pancreas, lien, et alia imi ventris viscera sanguinem bilis secretioni aptum suppeditant; luce clarius patet, quod quoties horum viscerum perturbatur oeconomia, toties vel ob nimiam sanguinis copiam, vel ob ejus vitiatam crasim, venae portarum systema, bilisque elaboratio abnormem adipiscuntur conditionem: quod quidem eo facilius evadit, si quo lien defatigetur

morbo: hoc enim viscus prae caeteris, ut summa cum perspicientia vir summus Anatomiae Professor Florianus Caldani arbitratur, sanguinem prius aptat biliosae secretioni. Neque difficile, ut ego arbitror, est intellectu, quod ex perturbata venae portarum oeconomia, bilis etiam elaboratio saepius conturbetur; quodque inde necessario bilis vitia digestionis processum abnormem reddant, ac morbosis tubi gastroenterici turbis ansam praebeant. Si tot igitur, tantique extant consensus inter venae portarum systema et haemorrhoidalia vasa ac caeteras corporis provincias; quaenam necessario non esse debet multiplex et frequens utilitas artificialis haemorrhoidum profluvii, quoties ea consentientia organa variis sanguinis praesertim *quantitativis* detineantur vitiis? Quinam, inquam, alius corporis locus antagonismi instituendi aptior, ut vel sanguinis derivationem, vel ipsum quandoque *metaschematismum* rite efficiatur, quam hic, ubi vasa incolant haemorrhoidalia? Mehercle, ut equidem arbitror, nullus.

Sed haec therapeutica curandi methodus inter fere omnia quotquot sunt pharmacologiae subsidia, hac etiam excellit virtute, quod nempe neque per ambages, neque longum post temporis intervallum seram tandem dubiamque, ut in plurimis evenit remediis, affert utilitatem. Quae quidem vera ex multis naturae ipsius operibus saepe numero innotescunt, et pro re nata, ut caetera praetermittam exempla, si quando plethoricus homo capitis gravedine ac stupore, praecordiorum oppressione atque anxietate, artuum formi-

catione ac inertia excruciatus, improvisum haemorrhoidum sortiatur profluvium, illico ac immadiata morbosae omnes dissipantur turbae, atque exoptatam vir recipit salutem.

Verum enimvero ex praescripta quoque Hirudinum ad haemorrhoidalia vascula admotione idem haberi potest effectus. Atque ita quidem functionum turbae tum sentientis, tum vegetantis systematis, quae ex incauta haemorrhoidum suppressione quandoque insurgunt quamplurimae; ipsae, inquam, subito evanescunt simul ac Hirudines ad vasa haemorrhoidalia sanguinem revocant ipsumque ore emungunt.

Sed praater caeteras, quibus pollet therapeuticum hocce subsidium, illa etiam eminet utilitas, quod sanguis e vasis haemorrhoidalibus emissus parum noxae ob sui defectum animali affert oeconomiae. Nullus enim invenitur sanguis in quavis humani corporis parte, qui magis assimilabili materie destituatur, nullus impurior, tenacior, nigrior, nullus carbonio atque hydrogenio onustior: neque mirum; ipse enim totius abdominis viscera aluit, multisque ante secretionibus inserviit. Quapropter hujusmodi effusio sanguinis illa gaudet peculiari atque exclusiva utilitate, quod si a morbi natura indicata rite perficiatur, maximum aegroto affert levamen; si opposita e regione Hirudinum admotio contra indicante morbi indole instituatur, nullum tamen vel fere nullum afferre solet aegrotanti detrimentum. Neque aliam ob rationem in eam devenit sententiam praeclarissimus Lieutaud, cum asserere, et

quidem sane, non dubitaret, nullum nempe adesse sanguinis profluvium quod tutius fiat, quodque facilius, ullo fere sine salutis periculo, animalis saepe saepius perferat oeconomia. Quamplurima enim extant hominum exempla, qui e vasis haemorrhoidalibus magnam quotidie sanguinis copiam absque ulla corporis labe deperdebant. Neque ab hac opinione re quidem ipsa abludit Sthaalii sententia, qui illud etiam addit, quod gaudendum sit magis, quam dolendum, si quando haemorrhoidalis fluxus appareat, qui ut modica, ita periodica defluat quantitate; neque hoc inconsulto affirmavit: haemorrhoidale enim profluvium apud multos sicut necessaria prophylaxis haberi debet. Hoc etiam novit Hippocrates cum oppido concinne innuit. »Qui haemorrhoidibus laborant, »neque pleuritide, neque peripneumonia, neque »ulcere phagaedenico, neque foruncults, neque »terminthus; fortasse neque lepra, neque aliis cor»ripiuntur malis«. Ita etiam arbitrabatur celeberrimus Monteggia cum dixit: »Si danno poi al»cuni, i quali soffrendo da lungo tempo un flus»so di sangue emorroidale moderato, talor perio»dico ogni mese, ovvero ad intervalli differenti, »ne riportano anzi avvantaggio come rimedio a »ricorrente pletora generale, o come diversorio »alla tendenza per altre pletore locali al capo, al »petto, al ventre, o come preservativo ad altre »precedenti malattie cessate al comparire dell'e»morroidi, come sarebbero vertigini, tisichezza, »sciatica ec.«.

Praeterea ipsa hujusce spontanei fluxus fre-

quentia, ipsumque quod affert morbo levamen, cum abdominis viscera ab infarctibus congestionibusve detinentur, aut cum vasa implentur vel topica, vel generali plethora, multiplicem patefacit ipsius effluvii utilitatem: quam quidem, ut ego arbitror, magis magisque comprobant salutares per hocce iter, frequentesque morborum crises. Vis enim naturae curatrix hoc saepe numero utitur molimine, ut memoratis modum ponat morbis, vel illos etiam quandoque compescat, atque ab imis divellat radicibus. Et revera ipse Hippocrates monet: »Melancholicis et nephriticis hae»morrhoides supervenientes, bonum«. Et inde: In »insanientibus si varices vel haemorrhoides au»perveniunt, insania solvitur«. Et tandem in coacis praenotionibus: » Quae apoplecticis veniunt haemorrhoides, bonae«. Quis vero neget, quantum esse possit utilitatis Hirudinum ano suspensio, quoties pathologicae tum circulationis, tum etiam longinquorum viscerum conditiones abnormi manifestantur ratione, et apta indigent vel sanguinis derivatione, vel contrairritatione? Quis, inquam, neget, nisi cui. nullae omnino dynamicovitalis antagonismi leges innotescunt? Quin immo igitur triplex est Hirudinum effectus: primo enim sanguinis massam imminuunt; secundo irritationis punctum atque *revulsionis* instituunt; tertio tandem sanguinem e truncis ad ramulos, non e ramis ad truncos, ut caeterae phlebotomiae, revocant; quod postremum in nonnullis morbis: ut in chlorosi, ac in organicis vasorum thoracis majorum affectionibus, maximi est faciendum.

Neque illud silentio praetereundum censeo, quod haec artificialis effusio, inter omnes quot vis sanguinis emissiones, unica sanguinem adimit priusquam ipse sanguis ipsius affectae tum venae portarum tum hepatis provinciae vasa ingurgitet; et sola immediatum tali pacto morbis praebere potest auxilium: dum in caeteris at phlebotomiis, et Hirudinum admotionibus necesse est vel totam sanguinis massam imminuere, vel cruorem ex affecta regione decedentem subducere, vel postremo illum a locis parti aegrotae proximioribus tantummodo decerpere, ut aliqua morbo mediataque effluat utilitas. Si vero natura simplicissimis gaudet operibus, si morbus simplicioribus potius, quam polypharmacis profligari mavult remediis, quid Hirudinum ad vasa haemorrhoidalia applicatione simplicius? Qua quidem simplicitate hocce medicaminis genus caeteris pharmaciae internis praescriptionibus dubia ut plurimum facultate praeditis praeferre jure meritoque debemus. Quibus interea omnibus ad trutinam revocatis luce clarius nitet, quantum sit hujusmodi therapeuticae curationis momentum. Sed nunc operae pretium esse arbitror praecipuas enumerare pathologicas conditiones, quae eadem ipsa Hirudinum ad ani finitima admotione indigent.

Principio cordis vel arteriarum vel capillarium vasorum vel demum venarum dynamicae aut organicae tum partiales tum generales pathologicae conditiones universi sanguinis crasin, copiam, ac mutum sensum sensimque perturbant. Hinc an-

goeostases, vitia instrumentalia, phlebeurysmata, aneurysmata, arthritides, phlebitides facilem ortum habent; et quandoque lymphangioitides etiam myositidesque non desiderantur. Sed inter tot tantaque perturbatae circulationis vitia sanguinis congestiones stagnationesve in abdominalium viscerum organis, ac speciatim in portarum venae systemate frequentiores sunt; neque mirum: venae enim portarum canales cum sint, ut caeterae corporis venae, arteriis copiosiores, laxioribus instructi tunicis et parva donati vitali contractilitate, valvulis etiam destituuntur, verticalem densioris sanguinis columnam sursum vehere debent, et quamplurimas cum caeteris imi ventris visceribus communiones habent. Quae quidem omnia, ni fallor, sunt veluti totidem causae, quae sanguinis motum per venas portarum caveas ac per abdominis viscera remorantur; angoeostasibus et abdominalibus plethoris favent; atque ansam memoratis affectionibus facillime praebent.

Sed sanguis quoque, qui etiam propria pollet vitalitate, vel crasi, vel copia peccare potest, unde *qualitativa* ipsius sanguinis vitia vel, uti vocant, dyscrasiae; et *quantitativa*, uti plethorae anemiae in promptu veniunt. Haec ad amussim sunt praecipua tot morborum fundamenta, qui sanguiferi systematis anomalias constituunt. Verumtamen quae mala Hirudinum ad vasa haemorrhoidalia admotione indigeant, nunc propius videamus oportet.

In primis profecto animadvertenda occurrit venae portarum systematis plethora, qua nulla qui-

dem alia, ut superius patefeci, frequentior humani corporis saluti officit. Et pro re nata hucce morbus si quando insurgit, tanta tamque diversa phaenomenorum se ae prodit caterva, ut nonnunquam aliorum morborum formas simulet, clinicorumque diagnosin quandoque etiam fallat. Hic, inquam, morbus nulla unquam alia nec promptius neque facilius profligatur medela, quam Hirudinum ad haemorrhoidalia vasa suspensione. Et pro re nata ipse egomet hominem vidi qui *venositate* laborans portarum venae adaucta, modo cephalalgia pertinaci ac doloribus huc illuc vagantibus detorquebatur, modo summa virium debilitate ac musculorum spontanea laxitudine corripiebatur, modo dyspnoea, praecordiorum anxietate, cordis arteriarum, et venarum ctiam haemorrhoidalium acquisita pulsatione vexabatur, modo tandem vertigine et lipothymiis afficiebatur. Quae quidem omnia symptomata ad instar fulguris disparuerunt simul ac sexdecim Hirudines ad ani finitima admotae fuerunt. Animadvertendum tamen hic loci esse existimo, usuvenire nempe nonnunquam, quod venae portarum plethorae propria extent phaenomena, quippe quae ipsa non modo desit pletbora; quin immo anemia sanguineus (caute inspectus) humor laborare potius videatur. Si status enim sanguinis assimilativus dyscrasia aliqua detineatur, ac ipsius vitalitatis gradus abnormis sit, sensim sensimque vim ipse sanguis adipiscitur irritantem potius quam excitantem, et vasorum actiones plus quam par est irritativo adauget excitamento. Quae cum ita sint,

propagines nervi trisplanchnici huc illuc per vasorum tunicas, ut ita dicam, fusae validius perturbantur, atque ita per nervosos vasculares que consensus tales exoriuntur irritativae conditionis manifestationes, quae memoratae plethorae formam satius assimilare valent. Tunc quidem sanguinis emissionibus parcite; potius enim ipsius copiam augere, atque crasim corrigere totis viribus laborandum est.

Longum vero atque hoc in loco supervacaneum esset, illam morborum iliadem enumerare, quae ex incauta haemorrhoidum habitualis fluxus cessatione ortum saepe numero ducunt: hoc tantummodo deprecor, et quo possum magis magisque adhortor, ut, cognita illarum affectionum pathogenia, ad hocce divinum, prope dicam, medicinae subterfugium, nulla intermissa mora, medicus confugiat. Nullum enim promptius, nullum certius. Ex incauto haemorrhoidum fluoris retrocessu mares quoque chlorosi obnoxii nonnunquam evadunt; quae morbi species sequioris sexus proprior (et cujus aetiologiae ac pathogeniae historiam non hic exponendi locus) saepe saepius celebrata Hirudinum admotione moderatur, et quandoque etiam mirifice profligari potest. Quid vero cum locum habet ille haemorrhoidalis morbus, qui praeter rectum intestinum, mesenterium etiam, urinae cystim, intestina tum crassa, tum tenuia, et caetera abdominis viscera tanta tamque coacervata obruit sanguinis copia, ut *Furor* haemorrhoidarius appellari mereatur; quid, inquam, tunc temporis agendum putatis? Ac si-

mili quidem pacto neminem praeterit, hac tum utendum esse medela, quum haemorrhoides caecae vehementius dolentes fiunt: quo autem in casu cavendum tamen est, ne trifida Hirudinum ora ipsis adhaereant tumoribus, qui pro re nata phlogosi etsi lenta jamdiu laborantes, tunc admodum irritantur atque ita inflammantur, ut suppurationem passi, ansam ani fistulae quandoque praebere queant. Qua igitur de re satis erit ipsas anelides ad ani ac haemorrhoidalium tumorum finitima suspendere. Sed quovis alio, nisi eodem ipso totius pharmacologiae ac generalis therapeuticae subsidio utendum esse arbitramur, si quando venae portarum phlebitis irrumpat? Quovis unquam alio, si phlogistica per hepatis substantiam accendatur conditio? Hoc, inquam, unicum medicaminis genus, ipsum sanguinem, priusquam et portarum venam et hepatis molem ingurgitet, immediate subducere, ac subitum afferre levamen potis est.

Sed praeter hepatitidem aliis quoque quamplurimis hepar afficitur malis, quae eodem ipso indigent therapeuticae adjumento. Et re quidem vera, ut duritiem, physconiam, tubercula, concretiones epigeneticas, scirrhositates, et caetera conticescam mala, nil frequentius videri contigit, quam hepar mole adauctum. Quae quidem hepatica, ut vocant, vegetatio sub Hirudinum satis apta atque repetita admotione non modo imminuitur, sed saepius etiam tollitur. Attamen hoc loco obvia profecto ea venit controversia, quod hepatica memorata vegetatio non a venae porta-

rum sanguine; sed ab illo arteriae hepaticae, ipsius visceris nutritioni donato potius pendere debeat; ac propterea parvi vel nullius esse possit levaminis hocce in casu sanguinis venae portarum per Hirudinum applicatarum imminutio. Equidem consentio, quod generatim loquendo arteria hepatica sanguinem ejusdem visceris nutritioni vehat, et vena portarum secernendae bilis elementa inferat: sed eodem quoque tempore me neutiquam latet quod celeberrimus Flor. Caldani, quem praeceptorem Anatomiae habui suavissimum, mihi saepius patefecit, ex injectione nempe per hepaticam arteriam rite instituta hydrargyrium ab ejusdem arteriae extremitatibus in vasa venae portarum, et illa bilem secernentia se se sponte conferre; ab iisdem postremis per ductus excratorioa communes iter inde facere, ac tandem per continuos biliares poros ipsum properare. Qua de re clare patent inter arteriae hepaticae extremitates et biliaria, ac illa venae portarum vasa communiones: atque hinc ipse modo celebratus Professor in eam jure meritoque devenit sententiam, ut sanguis hepaticam arteriam decurrens, tum hepatis nutritioni, tum etiam bilis secretioni inserviat. Quae cum ita sint, luculentius per se patet, quod imminuta sanguinis venae portarum copia, ipse arteriae hepaticae sanguis defectum alterius adimplebit, ac majori quantitate bilis secretioni deditus, ita hepatis nutritio, ac propterea ipsa abnormis vegetativa congestio minor quoque ob sanguinis inopiam fieri debebit.

In ictero quoque ac in febribus biliosis sub so-

rum praesertim initii stadio non est semper haec omittenda medela. Extant enim exempla satis perspicua, icterum sub invasionis accessu ab artificiali haemorrhoidum profluvio veluti ictu perculsum sui finem fecisse.

Sed praeter hepar alia quoque quamplurima adsunt viscera, quae morbis defatigata hocce postulant subterfugium. Et re quidem vera ipsa lienis congestio, incrementum, durities, phlogosis atque alia hujusmodi celebratam anhelidum opem quoque exposcunt. Quanam vero enteritis, quanam dysenteria medicaminis forma, nisi hac in primis egere arbitramini? In mesenterite, in ejusdem visceris congestione, ejusque conglobatarum glandularum adenite vel infarctu; in gastritide nonne summa cum utilitate eodem uti possumus subsidio? Nonne etiam in psoitide juvare pauxillum fortasse potest? Neque equidem inficior quod Hirudines ad pubis regionem admotae, adauctam in cystide vasorum vitalitatem imminuere valeant; attamen vasculares communiones ipsius vesicae cum venis haemorrhoidalibus in maribus saltem aequales numero sunt, quam cum pube; ac propterea ad perinaei quoque atque ani regionem summa cum utilitate Hirudines apponi possunt. Sed eadem admotio ad hypogastricam ac genitalium regionem in metritide summopere commendatur: attamen si sedulo animadvertetur, quod uteri fundus cum imi ventris pariete ad pubem versus minime adhaeret, neque immediatam tenet vasorum communionem: si praeterea rite perpendatur, quod Hirudines genitalibus appositae san-

guinis affluxum in regionem affectam nimium revocant; facile erit intellectu, quod in primo casu parum afferunt utilitatis, et in secundo esse quoque in phlogosi possunt detrimento. Unde Galenus: »Prohibendum est, ne sanguis eo usque affluat, quousque sit satis«. Contra si ipsarum anchidum applicatio ad perinaeum atque ad anum fiat, majus sane feret adjutorium: quod quidem clare patet, si relationes tum sympathicas, tum vasculares inter utrumque locum in memoriam revocemus. Et revera nonne hujusce remedii excellentiam toties ipsa patefacit natura, quoties vicarium haemorrhoidum profluvium amenorrhoee vel abnormis, vel gestationis, vel tandem climatericae vices gerit? Verum enimvero si animadvertere quoque velimus, quod hepar, splen, et ventriculus lateralibus neutiquam abdominis parietibus, sed superius tantum diaphragmatis fornici potius adhaereant, ac propterea nullam adesse immediatam vasorum communionem eorum viscerum cum integumentis regionum hepaticae, splenicae, et epigastricae, ubi Hirudinum admotio fieri solet: perspicuum erit, quod ipsa Hirudinum applicatio, quae longinquam parit sanguinis effusionem, ab universali tantum massa, non a topica morbosaque provincia, parum vahere necessario debet utilitatis: contra si ad vasa haemorrhoidalia Hirudinum fiat admotio, dum tot inter has venas, ac tria modo memorata viscera extant communiones, consensus ac functionum analogiae; sanguis venae portarum imminutus affectorum viscerum plethoram illico imminuet, ac san-

guinis derivationem pariet. In internis arteriarum et cordis speciatim organicis laesionibus sanguinis massam imminuendam praecipua palliativae curationis postulat indicatio. Hirudines plerique in cordis instrumentali abnormitate sub mamma sinistra admovere peramant: nihilo tamen secius parcant mihi plerique; Hirudines ad vasa haemorrhoidalia appositae majorem, ut ego arbitror, afferunt utilitatem. Et revera Hirudines ad cordis regionem submotae, mammalium et intercostalium arteriolarum praecipue sanguinem hauriunt, ne quidem illum pericardiacae, et cardiacae *vascularitatis* emungunt, ut si cor ad motus liberius: nulla enim neque cordis, neque pericardii cum thoracis parietibus immediata vel continuitas, vel vasorum adest communio. Atqui igitur sanguis tali pacto effusus generalem copiam imminuere solummodo potest; cur ergo non ad vasa haemorrhoidalia submoventur potius Hirudines? Nonne venae haemorrhoidales externae in iliacas sanguinem effundunt, qui per cavam ascendit ad sinistrum cordis sinum? Nonne igitur sanguinis copia propius cor tali ratione subducitur? Nonne hoc etiam eo magis proficit, quo frequentiora inter caetera sunt illa regionis cordis sinistrae instrumentalia vitia, ut cadaverica docuit autopsia? Nonne summum inter cor et vasa haemorrhoidalia satius patefecimus antagonismi consensum? Nonne tandem Hirudines ano appositae sanguinem e truncis ad ramulos vehunt, quod maximi faciendum in praecordiorum vitiis, quodque super caeteras excellit phlebotomias? Quae

cum ita sint, quoties cystitis, hysteritis, hepatitis, splenitis, gastritis, carditis, vel ipsius tandem cordis organica vitia insurgunt, toties, ut ego arbitror, generatim saltem loquendo, haemorrhoidalis sanguinis effusio caeteris illis in regione homologa institutis erit utpote utilior praeferenda.

Si quando vis naturae curatrix vigentem quidem morbum per haemorrhoidale profluvium diebus criticis solvere conari videatur; tunc, *quo natura vergit, eo ducendum est per loca conferentia* (Hipp.). nulla Medicus intermissa mora Hirudines ano apponi jubeat, ut ipsius naturae molimina opituletur.

In nonnullis exanthematicis affectionibus, in quibusdam febribus typhoideis incrementi stadium hypersthenia stipatum decurrentibus, in aliqua phlegmasia debiles vexante, vel in phlogosi, quam dubia comitetur diathesis, in psorophthalmia quandoque etiam perutile rite censetur. Si enim morbi indoles illud postulat profluvium, tunc summam citamque importat utilitatem; si forte contra indicatum instituatur, parvae, ut alias demonstravi, vel nullius esse solet noxae.

Sed non est animi pendendum si haemophthysis, vel haematemesis, vel vesicae varices atque haematuria, vel blepharophtalmitis illegitima, vel glaucoma, cyrsophthalmia, ophthalmo-blennorrhoea ex haemorrhoidum suppressione oriantur: tunc ipso facto Hirudines ano apponantur. Neque serius agendum esse arbitror, si quis a recurrenti atque copiosa epistaxi excrucietur. Quo quidem in casu haemorrhoidalis arte parata sanguinis profusio; epistaxis tali sanatur medela, quae mor-

bum, ut ita dicam, curandae affectioni simillimum extemplo gignit; ac eo quidem pacto *similia similibus* curari, et homojopathica Hanhemanni doctrina locum habere videntur. Verum enimvero cujus quidem utilitatis hunc esse medelae modum non arbitramur, post rite institutas venae sectiones, in meningite, in arachnoite, in encephalite, in apoplexia, in chemosi, in iritide, in anginis gravioribus, in thoracis tandem phlogosibus, atque in plexuum coeliacorum, vel ut dicunt, cerebri abdominalis neuritide; dum aegrotum summa defatigat virium debilitas, et nihilo tamen secius morbi pertinacia sanguinis effusionem, vel potius *revulsionem* efflagitat? Infantum quoque eclampsia, adultorum convulsiones tum clonicae tum tonicae, exanthematum, atque impetiginum retrocessiones, perspirabilis Santoriani repercussio, profluviorum habitualium suppressiones, ac metastases tandem variae commendata moderantur Hirudinum admotione.

Quamplurima adhuc supersunt referenda mala, quae hoc indigent subsidio, quaeque omnia brevitatis causa silentio praetereunda esse arbitror. Sed ut tandem una caeteras comprehendat indicationes, hoc toties adhibebimus therapeuticae auxilium, quoties perturbata constitutionis organicae oeconomia aliqua sanguis egeat vel effusione, vel derivatione, quae parvam eodem tempore membrorum viribus labefactationem afferat, et quae ab ipsius morbi indole, stadio, sede, nec non a nervoso vel vasculari cum venae portarum consensu efflagitetur.

Nonnulla fortasse ex iis, quae in medium protuli, practices clinica impugnabit; juvenili, precor, et parvae parcite experientiae! Satis erit superque, si ea, quae dixi, non ab insano parta fuerint criterio, neque inepte ex optimis, quae quinquennio didici, deducta institutionibus. Ac simili quidem pacto ne me praeconcepta opinione hunc ita aggressum esse laborem arbitremini, ut Hirudinum ad vasa haemorrhoidalia admotionem, veluti universalem panaceam, ut de suis tincturis nuper fecit le Roy, vobis praebeam. Multa enim huic quoque therapeuticae subsidio associantur vitia; nonnunquam contra indicatur, et ejus abusus pessimus. Neque ea, quae dixi, veluti nova me vobis exhibere velle putetis. In mentem tantummodo hujusce medelae utilitatem in animo fuit revocare; nec non, saepius quo fit, hoc uti subsidio magis magisque adhortari. Neque etiam similem, rem novam non alterius, sed meo tantum partam labore in medium proferre mehercle valuissem. *Medicina enim non ingenii humani partus est, sed temporis filia* (Baglivius). Per multam solummodo periculorum scriem, post longum experientiae tempus, plurimasque post rite institutas observationes, nonnulli ingenio acerrimi arcana animalis oeconomiae nova demonstratione detegere quandoque possunt. At mihi, quippe qui quintum aetatis lustrum nondum peregi, qui ex medicis institutionibus nuper decessi, et qui praxis medicae vix limina tetigi; mihi, inquam, ea omnia defuerunt.

Sed dum haec omnia praetermittenda existimo,

in eam spem facile adducor, quod ex multiplici vasorum haemorrhoidalium cum caeteris constitutionis organicae systematibus patefacto consensu; ex hujusmodi auxilii celeritate atque certitudine; ex tanta demum morborum serie, quae hoc indiget medicamine: ex horum, inquam, omnium facta demonstratione spes venit, fore ut Hirudinum ad vasa haemorrhoidalia *utilis frequentia*, quam mihi vobis demonstrandam proposui, luculenter satis cuique innotescat.

THESES

I.

In dignoscendis curandisque morbis non modo status dynamicus, verum etiam assimilativus considerandus est.

II.

Abnormitates dynamicae modo praecedunt, modo subsequuntur abnormitates assimilativas.

III.

Conditio pathologica et in abnormi vitalitatis actione, et in irregulari molecularum mixtum organicum constituentium proportione, et tandem in vitio organorum instrumentali posita esse potest.

---

39 952195